

in cruce plenissime satisfecisse, pœnamque peccatis nostris debitam perfecte sustinuisse, atq; ita ab omni nos accusatione, maledictione & damnatione liberatos, in libertatem potenter asseruisse. Quô pertinent dicta illa Esa. 53.4.5. Rom. 3. 23.24. &c. cap.8.33.34. Gal. 16.14.

2. Quantum ad afflictiones, quas in hac terra pii adhuc sustinent, magna illis consolationi est, quod sciunt, se in cruce Christum antecessorem & antesignanum habuisse. Quemadmodum igitur Deus pater filium suum principē salutis ipsorum, per afflictiones consecrauit, gloriaque & honore coronauit: ita & ipsi alio itinere ad eandem gloriam peruenire non exoptant: sed abiecto omni metu constanter propositum ipsis stadium decurrunt, intuentes in fidei ducem ac perfectorem Iesum, qui vice sibi propositi gaudii, pertulit crucem, ignominiam contemptā, & ad dextram throni Dei consedit. Hebr. 2.9. &c. cap. 12.1. &c.

3. Quid dulcius hac cōsolatione piorum animis suggeri potest, quam quod norunt per crucem se conformari imagini filii Dei? Rom. 8.29.2. Timoth. 2.11.12. Item quod sciunt exitum nō minus in ipsis quā in capite Christo fuit, fore gloriosum? I. Cor. 10.13. Jacob 5.11. Apoc. 3.21.

4. Ad extremum etiam hoc consolationis argumentum crucifixio Christi ob oculos nobis ponit, quod etsi multi sunt *πνκτερων*, qui nobis in miseriis nostris insultant, inque sinum gaudent & rident: semper tamen Deus aliquos excitaturus est, qui piâ *συμπαθειâ* ducti, calamitatē nostram deplorent, etsi aliud nihil possint, Deū pro auxilio, fortitudine, & liberatione præstanta, ardēter orent. Ita hīc mulieres Hierosolymitanæ fletu & eiulatu suā erga innocentē Iesum sympathetan attestantur. Luc. 23.27. *Ita centurio videns quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens, Verè hic homo iustus erat.* Et omnis turba quæ simul ad hoc spectandum accesserat, cum videret quæ facta fuerant, verberans pectora sua reuertebaratur, Luc. 23.47.48. Ita cum Petrus ab Herode incarceratus seruaretur, assiduæ preces siebant, ab Ecclesia ad Deum pro ipso, Aqt.